



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Epitome Instituti Societatis Jesu**

**Sesti, Curtius**

**Bruxellis, 1690**

Sect. II. De modo tertiam Probationem transigendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

cialis, officio suo defunctus; aut similis quispiam alius, quem magni facturi sint; & à quo regi se faciliùs patiantur. Instru-ctor verò adniti ante omnia debet, ut gravissimi muneris memor, tum seriò ipse, ac diligenter in officium incumbat, tum eos excitet, qui in hac Probatione exercendi sunt; ut magno studio, & alacritate illam suscipiant. l

5. Idem erit ordinarius eorum Confessarius, cum potestate absolvendi à reservatis: pœnitentias ex devotione concedere poterit; non autem imponere, ob violatam disciplinam; cujus exigendæ cura est penes Rectorem, & Ministrum. Habebit tamen sigillum, & facultatem ad dispi-ciendum, an eorum literæ mitti, reddive debeant. m

SECTIO II.

*De modo tertiam Probationem transigendi.*

1. JAm ut, qui Probantur, intentum à Societate finem assequantur; debent 1. distractiones subterfugere tum epistoliarum otiosarum, 2. tum colloquiorum cum Nostris aliunde venientium, aut Ex-

M 3

terno-

Or. c. 3. Tit. 1. §. 2.

Or. c. 3. Tit. 2. §. 1.

*Ejus jura.*

m Or. c. 3. Tit. 2. §. 10. 11.

*Distractiones avertende.*

n Or. c. 3. Tit. 2. §. 11.

- ternorum, absque facultate Instructoris. Et universim expedit, ut cum iis tantum agant, quos Superior cuilibet assignabit.
- o Or. c. 3. Tit. 3. §. 10. 11. Cum verò loquendum est, audientes ædificent. p At extra horas recreationis silentium servabunt; designatamque stationem non deserent, per domum vagantes: q & à studiis omnino abstinebunt. r Propterea non distindi concionibus; quamquam Missiones aliquæ unius, vel alterius mensis non interdicuntur, & prævia aliqua ad Confessiones audiendas Instructio. s Si qui verò antea, ut moris est, Ordines non susceperint; hoc tempore ad eos non promovebuntur; nisi fortè sacris initiati jam fuerint. t
- o Or. c. 3. Tit. 3. §. 14. 2. Intimam familiaritatem cum Deo, potissimum hoc anno acquirant. Præter consuetum Novitiis Orationis tempus, illud quisque habebit, quod sua cuique devotio, probante Instructore, subministrabit. u Habeant distincta spatia meditationis, orationis vocalis, & lectionis spiritualis; ad quam non desit copia piorum librorum, & SS. Patrum juxta Indicem insertum huic Ordinationi. v
- q Or. c. 3. Tit. 3. §. 16. 3. Exhortationes & Conferentiæ sint ad eorum captum accommodatæ. y Pro explicatione Doctrinæ Christianæ utilior, & congruen-
- r Or. c. 3. Tit. 3. §. 7.
- s Or. c. 3. Tit. 2. §. 7.
- t Or. c. 3. Tit. 1. §. 7. *Meditatio, & Lectio spiritualis.*
- u Or. c. 3. Tit. 3. §. 6.
- v Or. c. 3. Tit. 3. §. 7. 8. 9. & Tit. 2. §. 9. *Exhortationes, & Conferentiæ.*
- y Or. c. 3. Tit. 2. §. 3.

guentior erit alia quepiam exercitatio, ap-  
ta illorum statui; ut de tradendis exercitiis  
spiritualibus, & modo juvandi animas; de  
Instituto, quatenus refertur ad acquirendas  
virtutes, & auxilium proximorum; de cere-  
monis Missæ, ex S. Bonaventura. Non abs-  
re etiam fuerit, si practicas interdum de ali-  
qua virtute exhortationes habere jubean-  
tur; non tamen meditatò, sed ex abundan-  
tia cordis sui. <sup>a</sup>

4. Ceterum quantum ad rationem Pro-  
bationis attinet, iisdem omnino probatio-  
nibus, quibus Novitii, exercendi sunt;  
hoc est sex experimentis Societatis, & aliis  
similibus, quæ ad perfectam sui abnega-  
tionem conferant; sumpto exordio à spi-  
ritualibus exercitiis, per integrum men-  
sem. Ad Magistri autem prudentiam per-  
tinet, pro ratione virium cujusque, ac  
dispositione omnia temperare. <sup>b</sup>

5. Legent ordine suo ad mensam: in  
exhortationibus, & conferentiis assidui  
erunt: in omnibus denique communibus  
exercitiis eam diligentiam adhibebunt; qua  
Novitios non æquare modò, sed vincere  
studeant. <sup>c</sup> Cum enim hæc ultima sit Pro-  
batio; meritò unusquisque sollicitus esse  
debet; ut ad quam initio perfectionem vo-  
catus est, ad eam in hac demum Probatione

Or. c. 3. Tit.  
2. §. 4.

Or. c. 3. Tit.  
2. §. 5.

Experimenta sex  
Novitiorum.

Or. c. 3. Tit.

2. §. 2. & 6.

& 8. & Tit. 3.

§. 5. & 12.

Disciplina, &

Fervor.

Or. c. 3. Tit.

3. §. 13.

acquirendam omni ope defudet; & Societati is tandem à suis fructus constet; quem illa post tot labores, & sumptus, jure suo, exigit, & expectat. *d* Caveant verò, ne ulla ratione scire satagant, quid ipsis, peracto tertio anno, futurum sit: sed cum indifferentia obedientiæ nutum præstolentur. *e*

6. Hæc autem facilius contingent; si Provincialis, aut Rector Collegii mittendos ad tertiam Probationem admonebit de iis; quæ studiorum tempore observata in illis fuerint, informato pariter de iisdem Instructore. *f* In ipso verò ingressu hujus Probationis generatim interrogandi; num firmi in proposito vitæ religiosæ perstent. *g* Non quasi liberum illis sit, post emissâ vota, recedere: sed ut Societati constet; num Scholasticus eam firmitatem retineat; quæ est conditio necessaria, ut ad ulteriora Vota admittatur. *h* Examinentur etiam particulatim, sexto quoque mense, eodem examine, quod Novitiis proponitur: reddantque rationem vitæ suæ ab eo tempore, quo ad studia missi sunt. *i* Provincialis crebrò illos visitet, moneat, consoletur; advigilans, ut si qui in hac Probatione non proficiunt, maturè illos educat, alibi probandos, & iterum remittendos. Adnotabit præ-

*d* Or. c. 3. Tit.  
3. §. 4.

Or. c. 3. Tit.  
3. §. 15. & In.  
7. §. 5.

Admonendi &  
examinandi.

*f* Or. c. 3. Tit.  
1. §. 3.

*g* Ex. c. 7. §.  
7. & R. M.  
N. 85.

*h* C. 9. D. 39.

*i* Ex. c. 4. §.  
39. & c. 7. §.  
8. & R. M. N.  
86. 87.

præterea in Libro, quomodo singuli se gesserint. *l* Frequentius etiam illos interrogabit Instructor; & Provinciale de illorum statu certiore faciet: pleniorẽ verò informationem sub anni finem ad eundem mittet; idemque ut faciant Rector, & Minister admonebuntur. *m*

7. Sua etiam, dum animus excolitur, tuendæ valetudini impendenda cura. Quare ad vineam, aut prædium, recreationis causa, mitti poterunt singulis mensibus, vel etiam sæpius, si Provinciali videbitur. Et singulis hebdomadis die una à solitis exercitiis vacent; in qua aliquid honestæ recreationis poterunt sumere domi, vel foris. Extra tempora porro quotidianæ recreationis concedi eis poterit, ut in horto aliquâ diei horâ deambulent, sed singuli seorsim, & silentio. *n* At exercitia corporalia valdè moderata sint, & non qualia Novitiorum; eademque ad mortificationem potius mentaliumque avocationem, quàm ad defatigationem apposita. Omnia tamen in Ministerio culinæ, & ceteris corporalibus exercitationibus præstabunt, quæ Novitiî solent; seu tempus spectetur, qua singula præstanda sunt, sive occupationis spatium, quo explenda est. In his verò sic se à Præfecto dirigi sinent, sicut ipsimet Novitiî.

Vilia

*l* Or. c. 3. Tit.  
1. §. 8.

*m* Or. c. 3. Tit.  
1. §. 9. & Tit.  
2. §. 13.

*n* *Eorum valetudo custodienda.*

*n* Or. c. 3. Tit.  
2. §. 12. & Tit.  
3. §. 16. & R.  
M. N. 622.

Vilia etiam indumenta, & aliae id genus mortificationes prætermitti non debent. ◊

◊ Or c. 3. Tit.  
2. §. 6. & Tit. 3  
§. 12.



PARS